



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Qualis calamitas Iudaeos qui Hierusalem incolunt, ipso die Paschae
oppresserit. Cap. XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

illius. De quæstionibus & solutionibus cognouimus. Alterum item. De tabernaculo, alterum De decem præceptis. Sunt & quatuor eius libri. De legibus separatim scriptis, quæ summam ad capita decem præceptorum referuntur. Alius præterea, De animalium sacrificiis & victimis. Alius, Quenam & quot sint sacrificiorum genera. Alius. De præmijs, quæ bonis viris in lege proposita sunt, deq; supplicio & execratione improbis infligenda. Præter hos vniuersos, singuli illius libri feruntur: sicut, de prouidentia, De homine ciuilem vitam degente, siue de Ioseph. De Iudæis. Porro Alexander, siue, De eo, quod bruta ratione prædita sint. Adiunge his eum libellum, qui De eo quod improbus quisq; sit seruus, inscribitur. Ad quem sequitur liber, De eo quod quisq; studiosus sit liber. Quibus adiunctus est liber. De vita in contemplatione posita, siue De supplicibus. Ex quo sunt ea, quæ de virorum Apostolicorum vita persecuti sumus, deprompta. Nominum etiam Hebræorum in lege & prophetis interpretationes ab illo lucubrata dicuntur. Istum autem, Caio regnante. Romam profectum esse, & librum quem de Caij impietate & scelere composuerat, quemque facetè & dissimulanter, De virtutibus inscripserat, postea Claudio imperium gerente coram vniuerso Senatu Rom. recitasse memoriæ proditum est, vnde non illud opus solum, verum etiam alia ab eo edita tantopere admirabantur Romani, vt digna existimarent, quæ in Bibliotheca, tanquam monumenta quædam reponerentur. Per idem tempus dum Paulus vsque ad Hierusalem, & loca vndiq; ad Illyricum itinere peragrabat. Claudius Iudæos Roma prorsus eiecit. Quo quidem tempore Aquila & Priscilla cum alijs Iudæis Roma decedentes, in Asiam nauigarunt. Illic cum Apostolo fundamenta ecclesiarum paulo ante ibidem iacta constabiliente commorati sunt. Quæ etiam sacra scriptura in Actis Apostolorum satis euidenter edocet.

Act. 18.

Qualis calamitas Iudæos qui Hierusalem incolunt, ipso die Paschæ oppresserit. CAP. XVIII.

Porro cum Claudius imperium administraret, talis Hierosolymis seditio & turba forte fortuna in die festo Pascha-

Pascharis conflata est, vt illorum duntaxat Iudæorum, qui dum per templi ianuas acruatim egrediebantur, vi erant inter se contrusi, mutuoq; pedibus conculcati, triginta millia interirent. Atq; ita festi celebritas non gēti solum vniuersæ grauem luctum, verumetiam singulis priuatim familijs lugubrem fletum attulit. Atque non hæc solum ad verbum propemodum narrat Iosephus, verum etiam alio in loco scribit, quo pacto Claudius Agrippā filium Agrippæ Iudæorum regno præfecerit. Feliciq; regionis totius Iudææ, Samaritæ, Gallilææ, & illius etiā, quæ trans Iordanem appellatur, procurationem dederit: qui cum imperium ad annos tredecim & menses octo gubernasset, Nerone imperij successorem post se relinquens abiit è vita.

*Iosep. li.
antiq. 20
cap. 4.
idem de
capit. li. 2
cap. 20.*

Quenam regnante Nerone, Hierosolymis gesta sunt.

CAP. XIX.

DE seditione quæ temporibus Neronis, Felice Iudæorum præfecturam gerente, inter sacerdotes cōcitabatur, Ioseph^o in vigesimo antiquitatis libro scribit his ferè verbis. Erat seditio Pontificibus contra sacerdotes & optimates plebis Hierosolymitanæ miserè incensa. Nam quisq; illorum manu audacissimorum hominum, & nouis rebus maxime studentium ad se ascita, se duces eiusdem præbuit. Atq; tumultu suborto, conuitijs ipsi se mutuo lacerant, lapidibusq; obruunt. Ac nemo erat, qui turbam comprimeret sedaretve: sed tanquam in ciuitate rege & gubernatore destituta, ista cū licētia quadam effrenata admissa fuerūt. Pontifices eò impudentiæ & audacię proruperūt, vt seruos in atreas sacerdotū decumas illis debitas vi abrepturos mittere non dubitarent. Vnde accidit, vt sacerdotes inopia pressi, fameq; & inedia enecti, miserabiliter perirent. Sic crudelis seditiosorum violentia, ius fasque omne peruertit. Idem porro author iterum eisdem temporibus Hierosolymis quandam latronum factionem succreuisse narrat, quos ait interdiu, etiā in media ciuitate eos, qui illis forte obuiam fiebant, neci crudeliter tradidisse: & maxime quidem cū diebus festis essent multitudini permisti, paruis quibusdam sicis sub vestibus occultatis, viros dignitate præ-

*cap. 6. in
fine.*